



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Origines ac  
Progressus, Per Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam,  
Belgium, aliasque orbis Christiani provincias**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Capvt LIII. Novvm Monasterivm Abbatia apud Huyum opidum, dioecesis  
Leodiensis ad Moham flu. Gallicè Neumostier.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11321**



## CAPVT LIII.

NOVVM MONASTERIVM ABBATIA  
*apud Huyum opidum, diœcesis Leo-*  
*diensis ad Moham flu. Gallicè*  
 Neumoſtier.

COEnobium iſtud condidit *Petrus Ere-*  
*mita*, cuius hiftoriam nemo pleniùs aut  
 veriùs conſcripfit, quam VVilhelmus Archi-  
 epiſc. Tyrius, regni Ieroſolymitani Cancel-  
 larius. Erat de Epifcopatu Ambianenſi re &  
 cognomine Eremita, ſtatura puſillus, & quã-  
 tum ad exteriorem hominẽ, perſona cõtem-  
 ptibilis. Hic orationis & deuotionis cauſa  
 Ieroſolymam peruenit. Vbi cùm diligenter  
 de oppreſſione Chriſtianorum cum lacry-  
 mis ſcrutaretur, & à Græcorũ imperio, quod  
 vix ſibi ſufficiebat, nihil ſperari poſſe intelli-  
 geret, ſed tantùm à Romana Eccleſia & Oc-  
 cidentis Principibus, obtulit ſeſe in remediũ  
 animæ ſuæ legatum, ſi Simeon Patriarcha ad  
 dominum Papam, & Eccleſiam Romanam,  
 & Princeps Occidentis, ſcriptum ſigilli ſui  
 authoritate corroboraret. Viſus eſt & Domi-  
 nus Ieſus Petro in Eccleſia S. Reſurrectionis  
 dicens: *Surge, propera, & quæ tibi ſunt iniuncta,*  
*intrepidus perage. Ego enim tecum ero.*

Quare peractis de more orationibus & im-  
 petrata Patriarchæ benedictione, proſpera  
 nauigatione Barum peruenit. Vnde Romam  
 pro-



profectus, circa illas partes Beatum Vrbanum inuenit, fideliter & prudenter legationem exposuit, literas porrexit, miserias & abominationes Terræ sanctæ explicuit. Pontifex legatū benignè suscepit, & mox in Gallijs fidelem cooperatorem fore se promisit. Vnde Petrus trāscurrens Italiam, Alpes transiens, zelo diuino succensus, Occidentales Principes increpat, instat, arguit, vt afflictis fratribus succurrant, & loca sacra expurgent. Plebem quoque & infimæ fortis homines animabat. Cui Dominus tantam gratiam contulerat, vt rarò sine fructu populos conueniret. Fuitque Domini Urbani Papæ præcursor vsque in Gallias, vbi iam dictus Pontifex in celebri Synodo Claramontana legationem eius aperuit, & Principes ad bellum sacrum exhortatione euocauit. Nec fatis ei fuit ad hanc viam innumeros incitare, sed post captam quoque Ierusalem in multis vtilis cum exercitu Dei perseueravit. Tunc summa cum gratulatione exceptus fuit à Christianis, à quibus ante quinque annos suam legationem acceperat. Cùm autem vrbe feliciter occupata in Belgium redijisset, fundauit in suburbio Hoyensi *Nonum Monasterium*, in quo Prior obiit; cui postea *Hugo de Petra-ponte*, Episcopus Leodiensis Abbatis dignitatē adiecit. Fundauit autē id potissimum sumptibus Cononis Comit̃s  
Montis-



Montis-acuti, & *Lamberti* Comitis Clari-  
 Montis, qui cū in terrę sanctę subsidio nau-  
 fragium passi, Deo Ecclesiam vouissent, mox  
 serenitatem obtinuerūt. Proclamatur autem  
 annuè eo in loco beati viri memoria sequen-  
 tibus verbis: *Octauo Idus Iulij, anno Domini*  
*1115 obiit Dominus Petrus venerabilis Sacerdos &*  
*Eremita, qui primus prædicator sanctę Crucis à*  
*Domino meruit declarari. Hic post acquisitionem*  
*terra sanctę cū reuersus fuit ad natale solum, ad*  
*petitionem quorundam virorum nobiliū & igno-*  
*bilium fundauit Ecclesiam istam in honorem San-*  
*cti Sepulchri & S. Ioannis Baptistę; in qua ido-*  
*neam sibi elegit sepulturam. Sic ferè Molanus*  
 in Natalibus SS. Belgij.

Memoria  
 annua  
 Petri Eri-  
 mita.

## CAPVT LIV.

S. IOANNIS BAPT. MONASTE-  
 rium in vrbe Valentiana, in Han-  
 nonia.

**M**onasterium hoc à Theodorico Gal-  
 liæ Rege primum ædificatum, sacrif-  
 que Virginibus traditum, ac deindè à Pippi-  
 no itidem Rege auctum esse, sunt qui tra-  
 dunt.

Vt vt sit, constat ex manuscriptis Hanno-  
 1112. niæ Chronicis, an. 1112. Canonicos sæculares,  
 hunc locum incoluisse; qui vitæ cū essent  
 dissolutioris, Rainerus Castellanus Valen-  
 tianus,